Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput IV

urn:nbn:de:bsz:31-97032

Visual Library

CAPUT IV.

DE BOMBYCE.

Bombycem ante Iuſtiniani tempora Italis incognitum, tradit *Zonaras*; diebus illius demum ſolerti ingenio quæſitum, & allatum, *Procopius*. Addit idem duos Monachos ex India Byzantium Seras attuliſſe ova, inque fimo collocata transformaſſe in vermes. Seræ autem, in extremis Perſiæ civitas eſt. In qua tantum illius fit operis, ut dena millia pondo ſerici, in quotidianas operas diſpenſentur. In Taprobana etiam ſine cultu ex arboribus detrahi, multorum prodidere navigationes. Tantum vero in hoc inſecto oſtendit natura artificii, ut impoſſibile ſit omnia complecti. Multa quamvis ſcribantur, multa tamen reſtant. Vermis primum eſt, folliculo incluſus emoritur informis. E folliculo denuo prodit alatus papilio. Itaque inſectum reptile in volatile per medium Zoophytum, motus atque ſenſus expers, admirabili metamorphoſi commutatur. Excluſus enim primo vermiculus, alimenta quærit copioſa, quibus avide depaſtis, capitis crebra arrectione cum veterno veluti luctans, tandem obdormiſcit triduum, vel biduum, pelleque interea exutus ad conſueta redit alimenta. Cum quater paſtus, quater obdormiens, quater pellem renovarit, ſpreto deinde pabulo ſublime petit, & virgultis conſcenſis, alvo rite purgata, lanificii rudimenta inconditis primum mæandris per ramos exercet, mox folliculo incluſus pellucido, indefeſſi laboris fructum è centro ad circumferentiam portrudit pilum album, viride, flavum, ovali figura, cum æqualibus veluti certans, novem dierum ſpacio, abſolutoque operi immoritur. E folliculo loco ſubterraneo depoſito, papilio poſt decimum diem prodit cornutus, ſed alarum alimentique immemor, brevis ævi jacturam fætificatione reparaturus, molli impoſitus velleri, concubitu perpetuo per triduum, rarius quatriduum fæ-

minæ

minæ connexus, emoritur, nec multo poſt vidua, relicto poſt ſe inſtar granorum milii ſemine, centenario fere, mariti fata ſequitur. Cæterum quia accuratiſſime iſta *Vir Clariſſ. Andreas Libavius*, de medica facultate meritiſſimus, ex propria obſervatione deſcripſit, placuit in gratiam naturæ indagatorum ejus obſervationem hiſtoricam, appendicis loco ad finem claſſis hujus adjicere.

CAPUT V.
DE CANTHARIDE & CICINDELLA.

NAſcuntur *Cantharides* ex vermiculo in ſpongia, Cynorrhodi maxime, ſed fæcundiſſime in fraxino; in ficis ſi generentur, arborem perire veriſimile eſt. *Plin. l. 29.* Venenum illarum acutiſſimum eſt. Coſſinum equitem Romanum, amicitia Neronis notum, cum is lichene peculiari olim Ægypto morbo laboraret, vocatus ex Ægypto medicus, Cantharidum interemit potu. *Plin. l. 1. c. 4.* Idem Abbati apud *Paræum l. 20. c. 28.* à ſcorto accidit. *Cicindella* alvum habet annuloſam, multis diviſam ſegmentis, in cujus extremo duæ pellucidæ ignis inſtar guttæ, ad ſubcæruleum tendentes. Tunc maxime conſpicitur cum, alvo compreſſa, humor ille diaphanus ad alvi vergit extremum, pectoreque luci obverſo, ignis inſtar ſcintillat. *Aldrov. de inſect. l. 4. c. 8.* De illa claſſe ſecunda aliquid dictum eſt; Liquorem ejus lucidum in chartis ſulco traxit *Adrianus Iunius*, cum in Bononienſi ruſticaretur agro. Quod vero die illo ſcribitur, de nocte legi poteſt. Modum componendi oſtendere plurimi. *Baptiſta Porta* ſic de eo. *Nos earum caudam à corpore reſcindimus, præcavendo, ne alieni quippiam nitidis partibus immiſceatur, porphyretico lapide terendo, diebus quindecim vel pluſculis ſub fimo vitro condimus, fueritque praſtantius ne latera contingant, ſed pendeant. Nam elapſis diebus furno, vel calentis aquæ balneo*

vaſe